



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

248. An id illis competere poßit ex pacto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Papæ habilitare laicos ad jura spiritualia possidenda; uti de facto ab eo habilitati sunt seculares laici ad jus patronatus (quod spirituale est, & absque simonia vendi non potest. *c. de jure. de jure patron.*) quamvis difficiliter concedatur jus eligendi quam presentandi; quia illud est potentius, & majus jus tribuit, estque plerumque circa Prælatos ecclesiasticos, quorum autoritas in spiritualibus non dependere debet à secularibus. Engels *hic num. 4.*

Questio 247. Vtrum id eis competere possit ex consuetudine?

Respondeo negativè, *cap. Massana, h. t. Abb. c. querel. c. quod sicut. de consuetud. Host. in summa. de elect. num. 5. Pass. c. 10. num. 19. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 28.* Verumque id est etiam de patronis. Anelus in *addit. ad Abb. ad c. quisquis. h. t. Pass. c. 2. q. 4. n. 11. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. num. 8.* Tenetque de consuetudine temporis immemorialis Fagn. *ad c. Massana. num. 16. Pirh. num. 17. ad hunc tit.* cum enim jus eligendi spirituale absque privilegii titulo possideri nequeat, nullo tempore præscribi potest. Argum. *c. causam. de præscript. falsa* proinde ea Legistarum Regula: Quidquid Principis privilegii acquiri potest, idem & consuetudine immemoriali acquiritur: in eo casu, dum quis est incapax possidendi (& consequenter præscribendi) absque privilegii titulo, Repugnâtque talis consuetudo libertati Ecclesiasticæ. *c. sacrosancta. & c. quisquis. & c. h. t. ac proinde reprobatum à jure can. tanquam corruptela & abusus. cap. 1. & ult. de consuetud. Pirh. loc. cit.* Sed neque consuetudine introduci posse, ut si contra consensum Principis laici, eo vel non requisito, vel repugnante facta fuerit electio, ipso jure sit irrita, vel etiam cassanda, docet Abb. *in c. quod sicut. h. t. contra Innoc. apud Pass. c. 8. q. 3. num. 13.* salvo tamen jure, quod habet Princeps opponendi contra electum, ita ut, si probet electum meritò sibi suspectum, & sui principatus interesse, ut electio cassetur, electio sit cassanda. Abb. Innoc. Felin. *in s. super his. de accusationibus.*

Questio 248. Vtrum id eis competere possit ex pacto?

Respondeo negativè, ita ut vi nullius unquam donationis, conventionis, aut compositionis, consentiente etiam prælato, quin & toto Capitulo, & interveniente auctoritate Episcopi, laico, etiam si is sit patronus, etiam in prima Ecclesiæ fundatione constitui possit jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum, sumitur ex *c. sacrosancta. h. t. Host. hic. v. in collegiata. Pirh. num. 15. & 16. cum communi;* quia cederet hoc ipsum in grave detrimentum Ecclesiæ, ejusque libertati repugnaret, si inferiores Papæ possent laicis jus illud eligendi concedere.

2. His tamen non obstantibus, per pactum constitui potest, ut ante electionem consilium patroni laici requirendum sit, vel ut interesse debeat tractari de electione faciendâ, quin & ipsi electioni, absque tamen suffragio, Innoc. *in cap. quod sicut. h. t. num. 1. Jo. And. in c. nobis. de jure patron. n. 12.* Quin & consuetudine acquiri, vel etiam ex voluntate Capitularium, ut laicus, etiam non patronus, intersit electioni, & ad hoc vocari debeat, ut electores protegat, etiam armatâ manu. Bald. *hic in princip. & præfens in aula capitulari* (ut docent Abb. Butrio, Andr. Pass. & alii communiùs contra Fagn. *in c. quisquis. num. 30. & seq. fuse probantem contra-*

riù, nimirum hoc ipsum esse abusum secularis potestatis, & obtare libertati Ecclesiasticæ) vel ut eos instruat, formamque faciendæ electionem doceat; vel tanquâ tabellio, ut processum electionis conscribat (non enim requiritur, ut Notarius electionis Ecclesiasticæ sit Clericus. Fagn. *in c. quisquis. n. 19. & 20. citans plures alios contra Host.*) Gl. *in c. quia propter. h. t. v. redacta. Jo. And. & Bald. in c. Massana. Pass. c. 10. num. 19.* Et de hoc modo interessendi electioni procedit textus *cit. c. nobis: Non electioni faciendæ, sed jam factæ honestius postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat & c. vel sermo ibi est de patrono ecclesiastico. Gl. ibidem. v. nisi aliter.*

Questio 249. An igitur Electio à Clericis unâ cum laicis celebrata sit irrita?

Respondeo affirmativè. *c. querelam. h. t. ibidem. Abb. num. 8. cap. quisquis. h. t. c. Massana. h. t.* (ubi licet fiat mentio solum de electione Episcopi, extendendum tamen hoc ipsum est propter rationis identitatem ad electionem alterius etiam prælati. Pirh. *n. 18.*) *ibid. Cardin. Imol. Barb. idemque l. 1. de jure Eccl. n. 79. Suar. l. c. 1. 8. l. 2. c. 4. n. 2. Tamb. de jure Abbat. d. 5. q. 8. nu. 8.* Eò quòd hoc, nempe exclusio laicorum immiscendum se ipsi electioni ferendo suffragium, sit de forma electionis. Pass. *c. 10. num. 17.*

2. Unde videtur hoc ipsum procedere, non tantum, ubi electores Clerici scienter & voluntariè admittunt laicos ad cogilendum: Verum etiam, ubi admittuntur illi sine omni culpa capitularium, nimirum vel per ignorantiam, vel quia eos se vi immiscendum prohibere nequeant; vel quia gravi metu coguntur illos admittere; licet non consentiant in laicorum suffragium, sed positivè protestati sunt contra illa. Laym. *in c. Massana.* Butrio *in c. fin. de procurat. num. 2.* Eò quòd pœnalis illa constitutio principaliter edita sit in odium laicorum, præsumendum se electioni immiscere. Quin & canon iste latus in favorem immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ dicto modo restringi non debeat. Nec obstat Regula juris *27. in 6. utile per inutile non vitiatum;* nam non procedit regula illa, dum inutile, vel vitium est in forma, uti hic contingit. Bald. *hic num. 2.* Et in mixtis separabilibus (qualis est actus electionis, utpote individuum) magis attendendum est ad id, quod nocet, quam quòd prodest, adeoque hic magis inspicienda qualitas laicalis ad destructionem actus, quam qualitas ecclesiastica ad illius productionem, Ant. de Butr. *hic notab. 1.* apud Fagn. Nihilominus contrarium: nimirum electionem factam ab habilibus non irritari per admixtionem laicorum, vel aliorum inhabiliù ignorantèr admissorù, satis probabiliter sustinet Fagn. *ad cit. c. Massana. num. 10. 11. 31. & 33.* citans pro se Innoc. *in c. illa,* qui etiam asserat id verum esse, si unus tantum ex electoribus esset habilis, & omnes alii inhabiles; item *c. fin. de procurat.* ubi expressum sit, valere actum collegialiter gestum ab habilibus, & inhabilibus ignorantèr admissis; Butrioque opponit, quòd mixtum ex duabus naturis assumat naturam ejus simplicis, quod est favorabilis, & per quod jus consortis conservatur. *c. sanis. & c. de sepultura. & l. si communionem. ff. quemadmodum servit. amittatur.* & juxta Regulam, quam ponit Gl. *in c. vitium. de jure patron. in 6. v. Ecclesiasticus.* Hanc sententiam Fagn. valde probabilem affirmat, Pirh. *num. 18.*